

accusatione et invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari solent, nisi prius suspectum esse legitime constiterit, aliquam ex his (quinque Jansenii) propositionibus docuisse aut tenuisse.

QUÆRES I. Quinam sint sensus veri ac legitimi, alieni et extranei Jansenianarum propositionum: quique illis aut ambigue aut certo oppositi et orthodoxi?

219. Nota I. Duodecim diebus ante condemnationem Innocentianam propositionum Jansenii oblatus est INNOCENTIO X. a Jansenii defensoribus libellus supplex hoc signatus titulo: *Brevissima quinque propositionum in varios sensus distinctio*: qui vulgo *libellus* vel *scriptum trium columnarum* appellatur. 1<sup>a</sup>. columna sive ordo exhibet sensum Calvinii, qui propositionibus maligne affingi posset, quem tamen legitime sumptæ non habent. 2<sup>a</sup>. seu media, proponit juxta Jansenianos sensum S. AUGUSTINI, quem tanquam verum, germanum ac legitimum ipsi intellexerunt et defendendum putarunt. 3<sup>a</sup>. non continet nisi propositiones quinque accusatis propositionibus contrarias, ut ab adversariis, nempe Jesuitis et aliis Molinæ sequacibus, defenduntur.

Improbaverat quidem jam ante D. de Sainte Beuve columnæ primæ inscriptionem, prævidens hac declaratione præclusum iri aditum ad defendendum sensum Jansenii; cum vero Pontifex post propositiones Jansenii, utique in sensu vero ac legitimo Jansenii, non autem alieno et extraneo, qui illis maligne affingi posset, damnasset: Janseniani tamen inaudita hucusque et priori sententiæ contradicente distinctione sensum Calvinii dixerunt strictum, rigorosum et naturalem; sensum autem, quem S. AUGUSTINO tribuerunt, retentis vocibus, appellarunt verum, germanum et legitimum.

Non minor eorum fraus fuit in designandis sensibus oppositis damnatarum propositionum. Cum enim Convennarum, postea Tornacensis Episcopus, jussus a Christianissimo Rege, viam an. 1663. inquireret, litem inter Theologos componendi, oblatus sunt quinque doctrinales articuli a Doctoribus de la Lane et Girard, cæterorum Jansenistarum nomine, subscripti, cum declaratione, his suam doctrinam damnatis oppositam contineri, seque paratos esse in omnibus S. Sedi obtemperare, quidquid de illis decerneretur. Hi a Convennarum Episcopo ALEXANDRO VII. P. M. transmissi fuerunt, quamvis specietenus a doctrina Thomistica non admodum abhorrerent, atque hinc a pluribus Thomistis essent approbati; tamen cum Roma per Henricum de la Motte Rhedonensem Episcopum moneretur, caveret sibi ab insidiis Jansenistarum, sperantium hac ratione a Sede Apostolica sententiam, qua prior elidatur; exquisitis desuper Qualificatorum S. Officii sententiis et habita quinque Cardinalium Congregatione, judicatum fuit, nihil esse respondendum de his articulis ambiguis et quasi adornatis ad eliciendum responsum aliquod, quo Janseniani contra Constitutiones abuterentur.

220. Nota II. Hactenus relata non spectant ad vanas Jansenianorum cavillationes et triumphos, inde inaniter desumptos, retundendos; hoc enim a Tournely aliisque anti-Jansenianis abunde præstitum legi potest: sed ut occasionem duntaxat et locum designemus, unde varii propositionum sen-

sus desumantur. Verum enim et legitimum aperiemus ex ipsis Jansenii libris supr. num. 216. indicatis, et scripto trium columnarum; alienum et extraneum ex eodem scripto trium columnarum tantum afferemus; ambigue oppositum dant articuli quinque, quos P. Fontaine in Bullæ Unigenitus theologicæ propugnatae prolegomenis c. 8. fallaces et cum doctrina Jansenii consentientes ostendit: denique orthodoxæ oppositum desumimus ex contradictorio propositionis damnatae et veritate Catholica e contrario a Pontificibus definita, quem plurimis SS. Patrum, præcipue autem S. AUGUSTINI et Divi THOMÆ testimoniis confirmatum dedit Tournely in Synopsi Historica Jansenismi.

222. Dico I. Propositionis Jansenianæ primæ sensus verus et legitimus est ex doctrina Jansenii: Aliqua Dei mandata justis, qui divina transgrediuntur mandata, volentibus et conantibus secundum præsentia, quas habent ex gratia parva vires, sunt impossibilia comparate ac relative ad eorum majorem hic et nunc titillantem concupiscentiam; deest quoque illis gratia sive actionis, qua possibilia fiant immediate, sive orationis, qua possibilia fiant mediate. Unde conatus illi et volitiones, de quibus propositione prima mentio fit, sunt tantum effectus gratiæ parvæ orationis, sed quæ ipsa hic et nunc sufficiens non est ad orandum, sicut oportet. Similia habentur in scripto trium columnarum.

Sensus alienus est: Mandata Dei impossibilia sunt omnibus justis, quamcumque voluntatem habeant et quemcumque conatum adhibeant: quamvis in se habeant omnes vires, quas confert gratia maxima et efficacissima: et ipsis per totam vitam semper deficit gratia, qua possint etiam tantum unum præceptum adimplere sine peccato.

Sensus orthodoxæ oppositus est: Justis volentibus et conantibus secundum præsentia, quas habent ex gratia vires, mandata Dei non esse impossibilia, nec deesse illis saltem gratiam orationis, qua possint uberius impetrare auxilium, ut mandata hic et nunc implere valeant: seu, quod idem est, justos urgente præcepto ea instructos esse gratia, qua relative ad actualem hic et nunc sollicitantem concupiscentiam voluntas illorum potest illam superare et observare mandatum; aut ad utrumque præstandum necessarium Dei auxilium implorare et impetrare.

223. Dico II. Propositionis secundæ sensus verus et legitimus est ex doctrina Jansenii: Nullam dari in præsentia statu interiorem Christi gratiam, quæ privetur eo effectu, quem habere potest relative ad concupiscentiam hic et nunc oppositam. Si enim cupiditas sit inferior; gratia est victrix, et plenum ac perfectum opus producit: si cupiditas sit superior; gratia quidem non est victrix, neque producit effectum plenum, ad quem ex sese propriaque natura absolute ordinatur; sed tamen imprimis proprie loquendo illi non resistitur, quia in doctrina Jansenii relative ad cupiditatem majorem oppositam effectum plenum consequi non potest, et hinc sub illo respectu illi proprie non resistitur: deinde vere adhuc est efficax, quia gratia in his circumstantiis inefficaces adhuc et imperfectos ad bonum motus excitabit, seu, ut Jansenius loquitur, animus in solis desideriis inefficacibus hærebit.

Ex scripto trium columnarum: Gratia Christi ad singulos pietatis actus

proxime necessariae nunquam resistitur : hoc est, nunquam frustratur illa eo effectu, ad quem a Deo *proxime* datur.

Sensus *alienus* est : Interiori gratiae efficaci in statu naturae lapsae nunquam resistitur ; quia voluntas hominis se habet pure passive respectu gratiae efficaci, et sicut res inanimata nihil facit, neque cooperatur, neque consentit libere.

Sensus *orthodoxe oppositus* est : In statu naturae lapsae quamlibet gratiam actualem interiorem voluntatis non eum *omnem semper effectum* sortiri, quem intendit Deus spectatis subjecti circumstantiis, et quem voluntati permittit operari gradus concurrentis ac oppositae actu delectationis terrenae. Quamvis enim gratia *Thomistice* etiam sufficiens illustrando intellectum et movendo voluntatem sit efficax, tamen est efficax duntaxat respectu actus indeliberati ; non autem deliberati sive perfecti sive imperfecti, de quo quaestio hic est.

224. *Dico III.* Propositionis tertiae sensus *verus et legitimus* est ex doctrina *Jansenii* : Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiri immunitatem a necessitate saltem *simplici, voluntaria, mutabili ac relativa*; sed sufficere libertatem a coactione, seu ut homo hic et nunc voluntarie, et non coacte agat. Ad quem sensum intelligendum notanda est doctrinae *Jansenianae* circa libertatem oeconomia, ex Tract. de Act. Hum. num. 114.

Sensus *alienus* est : Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas exempta a necessitate naturali, etiam illa, quae datur in motibus indeliberatis ; sed sufficit, ut homo sit liber a coactione.

Sensus *orthodoxe oppositus* est : Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae, praeter immunitatem a coactione, requiri immunitatem ab *omni necessitate* etiam simplici, voluntaria, mutabili ac relativa ; proindeque voluntarium, si sit necessarium, non esse liberum ea libertate, quae sufficiat ad meritum vel demeritum praesentis vitae : seu requiri libertatem, quae excludat illam voluntatis ad unum determinationem, quae a delectationis relative superioris ineluctabiliter praevientis et invincibiliter flectentis virtute proficiscitur.

225. *Dico IV.* Propositionis quartae sensus *verus ac legitimus* est ex doctrina *Jansenii* : Semipelagiani admiserunt praevientis gratiae interioris necessitatem, etiam ad initium fidei ; et in hoc erant haeretici, quod rejecta gratia Christi *efficaci*, h. e. delectatione caelesti superiori voluntatem necessitate insuperabili et indeclinabili determinante, vellent gratiam Christi esse talem, cui relative ad actualem hic et nunc titillantem concupiscentiam posset humana voluntas obtemperare vel resistere. Eundem sensum scriptum *trium columnarum* indicat.

Sensus *alienus* est : Gratia Jesu Christi praeviens est talis, ut liberum arbitrium hominis, motum et excitatum per illam, non possit resistere, quamvis vellet. Aliter asserere est loqui cum Semipelagianis.

Sensus *orthodoxe oppositus* est : Semipelagiani non admittebant praevientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei ; et in hoc non fuissent haeretici, si etiam eam admississent, quod vo-

luisent eam gratiam talem esse, cui etiam relative sumptae humana voluntas hic et nunc posset resistere vel obtemperare.

226. *Dico V.* Propositionis quintae sensus *verus et legitimus* est ex doctrina *Jansenii* : Christus non est mortuus ea intentione, ut aliis quam praedestinati promeretur gratias *vere et relative* sufficientes ad obtinendam salutem ; et mortem Christi cum hac intentione extendere ad omnes omnino homines, Semipelagianum est.

Sensus *alienus* est : Jesus Christus mortuus est solum pro praedestinati, ita ut nemo, nisi ipsi soli, recipiant veram fidem et justitiam per merita mortis Christi.

Sensus *orthodoxe oppositus* est : 1º. Falsum, temerarium ac scandalosum est dicere, Semipelagianum esse, affirmare, quod Christus ea intentione mortuus sit, ut omnibus hominibus promeretur gratias, quibus salutem vere ac relative possint obtinere. 2º. Impium, blasphemum et haereticum est, affirmare Christum pro aeterna solorum praedestinatorum salute sanguinem fuisse, ita ut omnibus reprobis negata sint auxilia ad salutem hic et nunc obtinendam vere sufficientia.

QUAERES II. *An Pontifices ab initio, et constanter damnaverint famosas quinque propositiones in sensu a Jansenio intento?*

227. *Nota.* Quaestio praesens potissimum versatur circa INNOCENTIIUM X. ALEXANDRUM VII. et INNOCENTIIUM XII. Primum enim Jansenistarum, post latam ab INNOCENTIO X. Constitutionem, effugium fuit, damnatas esse quinque propositiones in se ac independentem a sensu Jansenii.

Alterum ex facto ALEXANDRI VII. extorquere conati sunt. Cum enim is, propositis per Convenerarum Episcopum quinque articulis doctrinalibus, dato ad Episcopos Galliae Brevi scriberet : *Illud autem non mediocri gaudio animi nostrum perfudit, quod litteris ex Gallia recens allatis accepimus, illorum in dies crescere numerum, qui recta sapiunt, praefatis Constitutionibus se subjicientes... Is fuit egregius sane laborum vestrorum fructus, ut multi, iique caeterorum nomine primarii, exemplo vestro, consilio et opera ad saniorum doctrinam inducti, ea, qua par est, ut credimus, animi demissione sese paratissimos exhibuerint ad illa omnia praestanda, quae ipsis a Sede Apostolica praescribentur.* Janseniani continuo jactarunt, ab ALEX. VII. probatos fuisse memoratos quinque articulos, quos ambigue oppositos supra retulimus ; atque hinc a sensu Jansenii propositionum damnatarum digressionem esse factam.

Postremum desumunt ex Brevi INNOCENTII XII. an. 1694. in Belgium misso, in quo cum imponeretur silentium super interpretatione formularii, et praescriberetur, propositiones damnatas rejiciendas esse *in sensu obvio*, gloriari coeperunt Jansenistae, sensum Jansenii damnationi non amplius fuisse propositum ; cum *obvius* sensus sit ille, quem verba cuique statim offerunt in ea significatione, quam naeta sunt ex hominum institutione, quin ad sensum et doctrinam veram ac legitimam auctoris necesse sit advertere.

228. *Dico I.* INNOCENTIUS X. propositiones damnavit in sensu a Jansenio intento.

*Prob.* INNOCENTIUS damnavit propositiones in sensu Jansenii, et sua damnatione proprium ac naturalem Jansenii sensum est assecutus; ergo.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p. Ant. 1<sup>o</sup>.* Quia INNOCENTIUS, cum in sua Bulla clausulam illam num. 217. recitavit, *Non intendentes* etc. addidit, et hinc quinque propositiones ab aliis opinionibus, quæ in libro Jansenii continentur, distinguit; manifeste indicavit, quinque propositiones similiter in eodem libro contineri, et ut ejusdem libri opiniones damnari. 2<sup>o</sup>. Quia idem in Brevi ad Gallie Episcopos die 29. Septembr. an. 1654. dato de sua Constitutione inquit: *Per quam damnavimus in quinque propositionibus Cornelii Jansenii doctrinam ejus libro contentam, cui titulus AUGUSTINUS.* 3<sup>o</sup>. Quia eo sensu ab INNOCENTIO propositiones damnatae sunt, quo fuerunt *delatae*, utrinque *impugnatae* et *propugnatae*, atque a Romanis Censoribus *discussae*: sed hæc omnia contigerunt in sensu Jansenii, ut constat ex historia Jansenismi apud Tournely; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p. Ant. 1<sup>o</sup>.* Quia INNOCENTIUS non damnavit propositiones in sensu alieno aut distorto; sed in sensu proprio et naturali, ut fatentur ipsi Jansenistæ, et eorum defensio propositionum ac scriptum trium columnarum probant. Atqui proprius et naturalis propositionum sensus ipsissimus est sensus totius libri Jansenii, ut patet ex propositionum in Jansenii libro extantia, et totius systematis data superius notitia; ergo. 2<sup>o</sup>. Si errasset INNOCENTIUS et ejus damnationem sequens Ecclesia; ergo vel ex defectu *attentionis*, vel ex defectu *intelligentiæ*, vel ex defectu *sinceritatis*: nihil horum dici potest, attendendo ad historiam damnationis et Ecclesie infallibilitatem; ergo. 3<sup>o</sup>. Si doctrina Jansenii sit orthodoxa, et ejus legitimum sensum INNOCENTIUS non est assecutus; ergo Jansenismus nihil est, nisi *merum phantasma*: atqui hoc dici nequit sine injuria tum Pontificum plurimorum, tum Episcoporum per universum prope orbem, tum Ecclesie, qui centum prope annis repetitis anathematibus damnarunt Jansenii doctrinam; ergo.

*Conf. utraque pars.* Quia ALEXANDER VII. in sua Constitutione an. 1656. INNOCENTIUS XII. in Brevibus an. 1694. et 1696. CLEMENS XI. in Constitutione an. 1705. eundem naturalem sensum tum propositionum, tum libri Jansenii esse declararunt et damnarunt.

*Nec dicas 1<sup>o</sup>.* Quod INNOCENT. X. Sorbonicis, pro defensione Jansenii Romam profectis, aliquoties declaravit, nolle se omnino, ut de Jansenio mentio fieret.

R. Noluit fieri de Jansenio mentionem quoad *personam*; cum is in pace Ecclesie et cum facta suorum librorum submissione Romanæ Sedi decessisset: neque quoad *librum* aut absolvendum, utpote qui jam ab URBANO VIII. damnatus erat; aut ab erroribus repurgandum, quod Janseniani desiderabant. Cæterum Jansenii mentionem factam ab eo fuisse, constat vel ex Bullæ initio: *Cum occasione impressionis libri, cui titulus: Augustinus Cornelii Jansenii Ep. Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis etc.*

*Nec dicas 2<sup>o</sup>.* Quod idem non constituat *novum jus* et censuram; cum in Constitutione dicat, primam propositionem jam anathemate damnatam

fuisse, scilicet a Tridentino in sensu Calvini et Lutheri; atque hinc verbo *declaramus* utatur in damnandis propositionibus.

R. *N. Ass. Ad rat. 1<sup>am</sup>.* R. Illam Pontifex damnavit, sive dicatur cum Calvino impossibilitatem observandi præcepta oriri ex labe concupiscentiæ omnibus justorum operibus adhærente, sive dicatur cum Baio et Jansenio eam nasci ex majore vi delectationis terrenæ. Inde vero constat, quomodo propositio hæc jam anathemate damnata dici potuerit, et quomodo etiam damnata sit in sensu Jansenii; præsertim quia diversitas utriusque propositionis *Calvinianæ* et *Jansenianæ* patet ex trium columnarum scripto.

*Ad rat. 2<sup>am</sup>.* R. Adhibitam recte fuisse vocem *declaramus*; quia Ecclesia non constituit nova fidei dogmata vel articulos, sed tantum, quæ in verbo Dei scripto vel tradito habentur, declarat et fidelibus credenda proponit.

*Nec dicas 3<sup>o</sup>.* Quod Episcopi Gallie in sua ad Pontificem hunc epistola scripserint, motus illos occasione propositionum ortos *sedari oportuisse auctoritate Concilii Tridentini*; hoc autem tantum pertinet ad hæresin Calvini vel Lutheri.

R. 1<sup>o</sup>. Idem addiderunt, hos motus sedari oportuisse *auctoritate Bullæ Urbani*; quæ Jansenium ob resuscitados Baïi articulos damnavit.

R. 2<sup>o</sup>. Jansenii propositiones etiam prædamnatas fuisse in Luthero et Calvino, quarum cum horum doctrina consonantiam videre licet, si vacat, in Libro P. de Champs sup. laudato.

*Nec dicas 4<sup>o</sup>.* Quod Card. Spada Jansenii defensoribus dixerit, propositiones in Congregationibus considerari præcise secundum *se ipsas*, abstracto a sensu unius vel alterius.

R. Per id indicavit, excludi tantum sensum *Calvini*, et sensum gratiæ efficaciæ ad mentem *Thomistarum* vel *Molinæ*, quos distingui debere contendebant Janseniani; non autem sensum Jansenii.

*Nec dicas 5<sup>o</sup>.* Quod Vincentius de Pretis in suo suffragio de 4<sup>a</sup>. propositione asserat, eam propositam fuisse *in abstracto*; ac idem de omnibus propositionibus testetur Wadinghus in sua Relatione.

R. 1<sup>o</sup>. Similiter, ut ad priorem objectionem responsum est.

R. 2<sup>o</sup>. Testimonium magis authenticum audire licet ex Bulla ALEX. VII. ubi hic Pontifex, antea Card. Chigi dictus, sic causam enarrat: *Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propositiones vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fide et pro arbitrio compositas esse; vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christi fidelium scandalo non reformident; Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter et attente perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii prædecessoris nostri jussu, dum adhuc in minoribus constituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica auctoritate eadem causa discussa est, ea profecto diligentia, qua major desiderari non posset etc.* Ubi demum confirmata et innovata INNOCENTII Constitutione sententiam subjungit n. 217. recitavit.

*Nec dicas 6<sup>o</sup>.* Quod Constitutio INNOCENTII lata sit *nullo respectu* ad varios sensus in scripto trium columnarum distinctos habito, neque assignatus sit sensus, in quem censura caderet.

R. In sensum *obvium* et *naturalem*, qui erat ipsissimus Jansenii sensus, latam fuisse censuram ex hæcenus dictis abunde liquet. Unde distinctionis

sensum in scripto trium columnarum merito ratio habita non fuit; tum quia in eodem non erat reipsa nisi unus sensus propositionum, scilicet ordine *secundus*, quandoquidem *primus* erat tantum maligne affictus; *tertius* vero ex systemate Jansenii doctrinæ penitus opposito desumptus: tum quia sine respectu ad hanc distinctionem obtinuerunt Janseniani, quod prætere potuerant, nempe gratiam à se efficacem mansisse illæsam: tum quia de illo sensu, quem forte distinxisset et designasset Pontifex, Janseniani tamen quævis adhuc, num in Jansenio reperiretur; unde materia tamen cavillationum illis subtracta non fuisset.

229. *Dico II.* ALEXANDER VII. non approbavit quinque articulos doctrinales, atque hinc a damnatione propositionum in sensu a Jansenio intento non discessit.

*Ratio* est, quia pro contrario nullum adest fundamentum. Nam 1º. ALEXANDER præsumi nulla ratione potest approbasse eos articulos, quos ut fallaces et ad dolum compositos tum ex alienis monitis, tum ex Qualificatorum et Cardinalium instituto examine noverat, ut num. 219. dictum. 2º. In Brevi ac litteris nec mentionem quidem ullam eorum articulorum facit. 3º. Ibi dem respondet duntaxat ad epistolas Episcoporum Galliæ, qui de articulis illis nihil retulerant, non autem ad litteras Convennarum Episcopi. 4º. Dum in eodem Brevi significat se gaudere, quod crescat numerus eorum, qui *recta sapiunt, et ad sanio rem doctrinam inducuntur*; loquitur de iis, quos per aliorum, quam Convennarum Episcopi, litteras intellexerat, ad doctrinam orthodoxam accessisse: aut si fabricatores quinque articulorum etiam intelligit, eatenus eos laudat, quatenus in Instrumento articulis addito profitebantur Janseniani, *se esse paratos Constitutionibus Apostolicis eam reverentiam et observantiam, quam Sedis Apostolicæ majestas et summa auctoritas exigit, impendere; eaque alia omnia præstituros, quæ ab ipsis Summus Pontifex exigere voluerit.*

230. *Dico III.* INNOC. XII. in suis Brevibus nihil remisit a damnatione propositionum in sensu a Jansenio intento.

*Prob. I.* De Brevi an. 1694. edito. In eo sic loquitur; *Præcipimus, ut quemadmodum ii, qui ad juramentum adigendi sunt, illud præstare debeant sincere sine ulla distinctione, restrictione, seu expositione, damnando eas propositiones, ex libro Jansenii excerptas, in sensu obvio, quem ipsum et verba præseferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices prædecessores nostri, damnatumque haberi voluerunt a Christi fidelibus.* Unde constat sensum obvium propositionum, quem Pontifex hic damnat, esse illum ipsum, quem damnaverunt INNOC. X. et ALEX. VII., atque hinc a Jansenio intentum.

Quod vero addat: *Cæterum ad præcavendas omnes dissidiorum causas nos quoscumque alios sensus formularii, præter eum, quem ipsius verba exhibent, afferri vel usurpari, aut de his disputari interdiximus et prohibuimus, ac super ejusdem formularii interpretatione, sicut et prædictarum propositionum, in alios sensus præter eum, quem ipsa verba per se exhibent, perpetuum silentium imposuimus; hoc, inquam, jure optimo fecit; quia ad privatos Episcopos non pertinet, formulam a Sede Apostolica præscriptam immutare, demendo quidpiam vel addendo; ut quidam Episcopi Belgæ fecerant, qui*

a jurantibus exigebant, ut formulario adderent, 1º. *non tantum in reverentiam Constitutionum Apostolicarum, sed etiam in veritatem earum*: 2º. *non tantum in veritatem eorum, quæ in prædictis Constitutionibus spectant ad questionem juris, sed etiam in veritatem ejus, quod spectat ad questionem facti ab Alex. VII. definiti se jurare.*

*Prob. II.* De Brevi an. 1696. ad eosdem Belgii Episcopos dato, quo Jansenistis omnem effugii locum præcludit, ita scribens: *Non sine admiratione intelligimus, nonnullos istis in Diocesis reperiri, qui verbis et calamo ausi fuerint affirmare, supradicto nostro Brevi alteratam seu reformatam esse Constitutionem Alex. VII. an. 1656. editam, nec non formularium ab ipsomet pronuntiatum; cum dicto Brevi utrumque specificè confirmetur, et omnino intenderimus et intendamus iisdem adhærere, et nequaquam sinere, ut aliquid addatur vel dematur à prædicto formulario etc.*

QUÆRES III. *An questio facti, quo sensu damnata sint propositiones, sit ejusmodi, in qua decidenda Ecclesia non sit infallibilis?*

231. *Nota.* Supra jam observatum fuit, præcipuum Jansenianorum effugium fuisse asserentium, Pontificem et Ecclesiam erravisse in questione facti circa sensum propositionum. Ad quod tum perspicendum, tum occludendum distingui debent varii generis facta.

1º. Enim aliqua sunt immediate a Deo *revelata*, uti sunt Incarnatio, institutio sacramentorum etc., quæ simul sunt dogmata fidei.

2º. Alia sunt facta mære *historica et personalia*, quæ scilicet præcise rei gestæ veritatem aut personæ cujusdam statum, internum animi sensum, crimen etc. concernunt; quale est, quod Jansenius Episcopus Iprensis conscripserit librum, cui titulus est *Augustinus*, hæc verba et sententia in libro contineantur, hunc sensum internum habuerit, dum hæc scriberet.

3º. Alia sunt *facta dogmatica*, quæ scilicet, præter factum, involvunt jus, seu dogma verum aut falsum; ad quod pertinet questio illa: An auctor, qui conscripsit librum, cui titulus *Augustinus*, docuerit hæresin?

Jam vero dum quæritur, an Pontifex vel Ecclesia sit infallibilis in *questione facti*, non quæritur de factis *primi generis*; quia certum est etiam apud Jansenianos, Ecclesiam ob infallibilem Spiritus sancti assistentiam errare non posse in discernendis fidei dogmatibus: neque quæritur de factis *secundi generis*; quia etiam apud Anti-Jansenianos certum est Ecclesiam, quæ circa ejusmodi facta fert iudicium vel in sensuum vel in hominum fallibilibus testimoniis fundatum, esse errori obnoxiam. Atque hinc Ecclesia non definit, sed, dum de *libris* judicat, potius supponit, hunc vel illum librum esse hujus vel illius auctoris, sub cujus nomine circumfertur: Item non decernit de sensu, quem auctor in mente habuit; quamvis enim *sensus auctoris internus* ex verbis, quibus utitur, merito præsumi possit, nisi quis auctorem vel inscitie vel mendacii aut fraudis insimulare velit; tamen, quia de internis et occultis non judicat, nihil etiam de *interno et personali sensu* definit.

Quæritur itaque duntaxat de factis *terti generis*, in quibus tamen adhuc distinguendum quidpiam restat. Potest enim fieri questio de sensu *externo et litterali* alicujus propositionis separatim et *in se* spectatæ; sed sicut hic

nudum jus et dogma spectat, sic etiam circa illum, fatentibus Jansenianis, Ecclesia errare non potest: atque hinc de eo etiam non quaeritur. Sed et quaestio potest moveri de sensu *externo* et *litterali* propositionis *relative* ad totam doctrinam et systema auctoris; quæ est de facto dogmatico, seu tali, quod jus simul et factum complectitur. Dum enim quaeritur, an sensus propositionis orthodoxus sit, an hæreticus? *jus* seu *dogma* attingitur: dum quaeritur, an sensus ille ab auctore expressus sit in libro, spectata tota ejus œconomia et doctrina? *factum* innuitur. Atque de hoc postremo versatur præsens controversia, quam tamen delibabimus duntaxat, cum ejus pertractatio ad materiam de Fide pertineat.

Quaeritur itaque, an Ecclesia *judicio certo* et *infallibili* statuere possit, sensum unius vel plurium propositionum, prout sensus hic eruitur ex doctrina vel libro alicujus auctoris, verum esse et orthodoxum, aut e contrario falsum et heterodoxum: ac proinde an Ecclesia errare potuerit in damnandis propositionibus Jansenii, earumque sensu?

232. *Dico.* Ecclesia in decidendis quaestionibus *facti dogmatici*, atque hinc in definiendo hæretico propositionum Jansenii sensu, non potest falli.

*Ratio* unica hic interim sufficiat. Ecclesia ipso *usu* ac *praxi* semper supposuit, datam sibi a Christo esse auctoritatem judicandi de sensu librorum, et fideles sub anathemate adstringendi, ut huic *judicio* infernum præberent mentis assensum; ergo *judicium* Ecclesiæ de sensu librorum vel propositionum, prout in libris exprimuntur, certum est et infallibile. *Conseq.* tum ex se patet, tum probatur a Bellarm. L. 3. de Eccl. milit. c. 14.

*Prob. Ant.* 1°. Conc. NICÆNUM damnavit librum Arii, quem *Thaliam* inscripserat, et anathema non tantum in errorem, sed etiam in Arii personam pronuntiavit: neque *Eusebium* Nicomediensem et *Theognem* Nicænum ante ad communionem admisit, quam et errori et personæ anathema dixissent, et sic facto dogmatico subscripsissent.

2°. Conc. EPHESINUM, examinatis *Nestorii* epistolis et sermonibus, errorem ipsius et personam damnavit, atque Joannem Antiochenum aliosque *Nestorii* patronos, licet dogmatibus Concilii jam consensissent, ad pacem et unionem prius non suscepit, quam damnationem *Nestorii* ratam habuissent, damnando scilicet sensum ab illo intentum.

3°. Conc. generale V. non tantum libros *Origenis* damnavit, sed exegit anathematizari *Tria Capitula*, id est, ut loquuntur Patres in Concilio, *Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, et quæ impie Theodoretus conscripsit, et impiam epistolam, quæ dicitur Ibae, et defensores eorum.*

4°. Conc. CONSTANTIENSE Sess. ult. præscripsit formulam, juxta quam examinari debeant, qui suspecti sunt de erroribus: Interrogentur, *utrum credant, teneant, asserant, Joannem Wicleff de Anglia, Joannem Huss de Bohemia, et Hieronymum de Praga fuisse hæreticos, et pro hæreticis nominandos ac deputandos, et libros et doctrinas eorum fuisse et esse perversos, propter quos et quas et eorum pertinacias per sacrum Concilium Constantiense pro hæreticis sunt condemnati?*

Hic porro advertite, *fidem internam* a Conciliis nominatis fuisse exactam tantum circa hoc, quod illi, contra quos agebant, perversum sensum expres-

serint in suis libris ac scriptis, Quia tamen constabat, ejusmodi *libros* ac scripta ab illis auctoribus emanasse, et præterea ex sensu verborum externo et litterali prudenter præsumitur sensus auctoris internus et personalis; ideo Ecclesia jure illos damnavit tanquam *hæreticos*, quamvis ipsius *judicium* de auctore libri et sensu interno non habeat infallibilitatem ex promissione Christi et Spiritus sancti assistentia, sed nitetur solum partim notorietate facti aut testimoniis humanis, partim præsumptione legitima, mentem auctoris fuisse verbis conformem; ex quibus postremis capitibus *judex* etiam civilis suam sententiam in personam vel factum edicit. Alias tum probationes, tum objectionum solutiones v. in Tr. de Principiis Theol.

#### QUÆRES IV. Quid sentiendum de pace Clementis IX?

233. R. Data quatuor Episcopis a CLEMENTE IX. pax non probat, *silentium obsequiosum* sufficere pro facto Jansenii; adeoque is Pontifex nunquam aliquid Jansenianis in damnando sensu propositionum concessit.

*Prob. I.* CLEMENS IX. non cognovit factam fuisse a quatuor Episcopis distinctionem juris a facto; quia reipsa existimavit, ab illis pure et simpliciter subscriptum fuisse formulario: ut liquet 1°. ex ipsius CLEMENTIS Brevibus, in quorum altero dato ad Regem die 29. Septembr. 1668. scribit, se *in pura et simplici subscriptione formularii agnovisse quatuor Episcoporum obedientiam et obsequium*: in altero autem ad Episcopos die 19. Jan. an. 1669. dato, præter alia sic loquitur: *Cum tamen nova et gravia isthinc accepimus documenta vere et totalis obedientiæ vestræ, qua et formulario sincere subscripsistis, damnatis absque ulla exceptione aut restrictione quinque propositionibus, in omnibus sensibus, in quibus a Sede Apostolica damnata fuerunt.... tribuere vobis volumus hoc paternæ benevolentiae nostræ argumentum.* 2°. ex Bullæ CLEMENTIS XI. verbis ultimo num. 217. recitatis.

*Prob. II.* CLEMENS IX. pro sua prudentia non potuit suspicari, quatuor Episcopos distinxisse jus a facto; cum omnia scripta Romam de hoc negotio missa nihil ejusmodi meminerint: ut liquet 1°. ex litteris Regis Christianissimi, quarum argumentum ex Brevis responsorio supra citato manifestum est. 2°. ex litteris Episcoporum mediatorum an. 1668. Romam missis, quibus declarant, quatuor illos Episcopos *optima fide egisse, damnasse propositiones cum omni sinceritate, absque ulla prorsus exceptione seu restrictione, et in eo omni sensu, quo sunt ab Ecclesia damnatae.* 3°. ex litteris ipsorum quatuor Episcoporum an. 1668. die 1. Sept. datis, quibus profitentur, nova subscriptione se imitatos esse *formam disciplinæ Gallicanorum Episcoporum*; et quamvis hoc ipsis fuerit *arduum ac difficile opus*, quod in ipsos *malecolorum voculas excire posset*, tamen id a se libenter susceptum, quia id erat sanctæ Sedi *honorificum, ipsique gratius.* Denique 4°. ex testimonio publico eorumdem Episcoporum syngraphis munito, quod ab eis exegit postea CLEMENS IX., dum a quibusdam eorum subscriptio suspecta nihilominus haberetur. In eo autem postulabatur, fidem facerent, *se sincere prorsus et ad sensum in Constitutionibus Innoc. X. et Alex. VII. expressum formulæ subscripsisse, utque eidem subscriberetur, curasse.*

*Nec dicas* 1°. Episcopus Catalaun. declaravit CLEMENTI IX., quod quatuor Episcopi in sua subscriptione quaestioni *juris* simplicem et perfectam, quæ-